

I. N. D. A. M.
Dissertatio Historica,
Continens
Examen Hypothesos
Commerciis Phœnicum cum
Veteribus Fennis,

Quam
Conf. Ampl. Fac. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,
Praefide
Mag. JOHANNE BILMARK,
Histor. ac Philosopb. Pract. Professore Reg. & Ord.
Pro Summis in Philosophia honoribus obtainendis
Publicæ bonorum censuræ submitit
CAROLUS ABRAHAMUS KECKMAN,
Ostrobotniensis.
In Auditorio Minor i
Die XV. Junii An. MDCCCLXXXIX,
H. A. M. C.

Aboæ Typis Frenckellianis.



Præfatio.

Accidere non raro, ut quo magis tortuosa quæstio quædam sit, eo plures inveniantur, qui eidem enodandæ suum intendant ingenium, multique se rem acu tetigisse censemant, etjam dum valde hallucinentur, multiplex adeo docet experientia, ut si pluribus ex Historiæ Litterariæ penu depromtis exemplis, hoc vellem comprobare, naufream certe Lectoriibus mea crearet opera; quare unicum solummodo hac vice in medium producam. Notum scilicet est, cum quod Fennus sua lingua nuncupetur *Suomalainen*, & Finlandia a Nostratibus *Suomi* dicatur; plerisque ex vulgo adhuc ignorantibus, se a vicinis populis *Fennos*, & patriam nostram Finlandiam appellari, tum quod de harum vocum etymo fuerit disputatum; an eadem descenderent vel a Fennico vocabulo *Suomus*, squama pisium, vel a *Suo* palude & *Suomaa*, terra paludosa; Finlandia tam *piscibus*, quam *paludibus* præ multis aliis regionibus abundante (a). Has autem verisimiles etymologias aut ignoravit, aut originem vocum *Suomi* & *Suomalainen* altius esse repetendam censuit D. Jacobus REINEGGS, sicut ex Ephemeridibus ad nos allatis didicimus (b). Scilicet probabile ei obvenit, Phœnices, commerciis longe lateque per orbem extensis florentissimos, suis in mare quoque Balticum penetrasse

A

traffe



traffe navibus, & cum Fennis, antiquissimis terrarum septentrionalium incolis, commercia instituisse, atque quum in dicti maris littoribus invenirent *electrum*, cui ingens statuerent pretium, ab hoc maris spolio Fennicam cognominasse Nationem. Quum enim *succinum* seu *electrum* lingua Phœnica seu Arabica dicatur *Sæmgb*, vel *Somgb* & *Sumgb*, atque idem naturæ productum, ut hic perhibet Auctor, a Fennis nuncupatur *Som r*, littera gutturali *ghain* in asperiorem *r* commutata, planum ei videtur, quod *Somi*, *Sum'n* Fenus, ex Arabico *Sæm=y*, vel *Sæmgb=y* sive *Sum=n* descendat.

Explicaturus deinde, qua ratione *Somelein*, *Someland*, uti hic habet Auctor, *Terram Succiniferam* denotet, assumit, quod voc s jam allatae ex *Sæm=* vel *Somgb-Mebæl*, *Som=æbel* deduci queant, quæ ultima tandem in *Somelein*, quæ Finlandiam designaret, fuit transformata, & vi hujus originis *terram succiniferam* significaret. Verisimilius tamen huic obvenit Auctori, quod Phœnices Finlandiam appellaverint *k-l songb*, quæ vox *Terram* quoque *Succiniferam* denotat, ipsa vero vox Arabica per transpositionem vocalium in *Glesum*, *Glæsum* & *Gles*, *succinum* designans, fuit mutata.

Probabile quoque ei videtur, quod Phœnices populos septentrionales in Theognosia instituerint; siquidem appellatio Numinis *Thoit*, *Thout*, *Thor*, *Tora*, sub Tauri forma ab his culti, Phœnices eit originis. Nomen etjam Deæ *Wen* vel *Wena* ab Arabico *Aen* vel *Wæn* deducendum putat; sicut *Wesen* utraque lingva denotat *essentiam*. Sacerdotes a populis Borealibus olim dictos fuisse *Krivi*, *Miki*, *Brabi* & *Diar*, idem nos docet Auctor, quarum appellationum originem in lingua invenit Arabica; in qua *Kribi* sacerdotem, & *Kribætbus* ex succino paratum denotat: *Mek* vel *Mik* significat & locum precationum & ipsum precantem. *Breb* vel *Brab* eadem lingua Sacerdotem; sicut *Diar* vel *Dear* Dominum aut *My-*

¤) 3 (¤

Mystam denotat, quam posteriorem denominationem in lingua adhuc supereffe Fennica opinatur.

Litteras denique suas a Phœnicibus populi acceperunt boreales, in quarum vero notitiam singuli promiscue non admittebantur. Litteras runicas habuerunt sacras, quibus vim inesse magicam venditarunt; femiuas itaque, magicis operantes artibus, appellaron *Alrunas*, *Runnas*. Haec tenus memoratus Author, cuius jam allatae opiniones quo nitanter fundamento, in hac ostendere conabor dissertatione.

(a) Vid. M. *GVLLENSTOLPES* *descriptionem Sveciæ &c. Cap. XXII.* (b) Vid. Cel. A. F. *BASSCHINGS Wochentliche Nachrichten &c. N:o 28. An. 1787.*

§. I.

Inter populos, propter commerciorum antiquitatem, frequenter & amplitudinem a priscis celebratos Scriptoribus, nulli sunt, qui palmam Phœnicibus reddant dubiam. Quam longe lateque hi navigationem extenderint, fuse & operoso labore persequitur Cel. Bochartus, perhibens: vix ullam fuisse orbis antiqui regionem maritimam, quam suis non lustraverint navigiis, indeque merces alibi locorum magno cum lucro dividendas, sibi comparaverint (a). Quamvis vero Phœnicum in navigationem atque commercia meritis nihil velimus detractum; probabile tamen est, quod Scriptores non pauci, antiquitatis præjudicio capti, commercia eorum, in se quidem ampla, in suis scriptis proposuerint amplissima. In confesso est, quod navibus suis, quas nostris onerariis multo minores fuisse, vel inde apparat, quod sinus obvios, urgentibus procellis, subirent, littora maris mediterranei sollicite perquisiverint, colonias suas in variis constituerint regionibus, & cum Bæticis seu Hispanis lucrosam exercuerint mercium permutationem.

A 2

tio-

☒) 4 (☒

tionem. Nonnulli quoque eorum, trajecto freto Herculeo, navigationem in Oceano tentarunt Atlantico; attamen quum defectu instrumentorum, ad navigationes in vasto mari feliciter fuscipendas necessariorum, laborarent, nec mappas haberent nauticas & usum pyxidis nauticæ ignorarent; vix est probabile, quod portus remotissimarum terrarum, qua situm & indolem sibi ignotarum, subierint. Sed demus, Phœnicum in navigando experientiam ac peritiam nostræ theoriæ & præxi quodammodo æquivaluisse, demus etjam, eos suis navibus in mare penetrasse Balticum, procul dubio hoc factum est, florentibus adhuc eorum rebus & urbe præcipua Tyro, totius fere mundi emporio, sua aetate maxime inclyto. Docet autem Historia, Macedonum Regem, Alexandrum M., superbam hanc & munitissimam urbem anno 332 ante N. C. expugnasse, commerciorumque ejus nervos ita incidisse, ut longinquis se expeditionibus in posterum accingere haud valerent Tyrii (b). Tempore autem hoc, quod urbi Tyro fuit climactericum, vix ullæ in septentrionales nostras terras factæ adhuc sunt immigrations; quare nec quidquam video, quod commoveret Phœnices, opibus ac lucro jugiter inhiantes, ut ad incultas atque inhospitas nostras solitudines cursum suarum dirigerent navium. Evidem non ignoro, nummos Arabicos in variis Svetiæ ac Fenniæ locis e gremio terræ fuisse effosso; sed quum hi annos, quibus sunt cusi, excidio urbis Tyrii multum posteriores præferant (c); colligere licet, eos non a Phœniceis mercatoribus, sed potius a Væringis, ex Græcia in suam patriam reducibus, quondam fuisse inventos.

(a) Vid. *Ejusd. Canaan libr. 2. Cap. 2.* (b) Vid. *Allgemeine Geschichte der Handlung und Schiffart I. Theil p. 97.* (c) Vid. *M. Lundbeckii Dissertat. de Nummis Arabicis in Patria repertis.*

§. II.

*) 5 (*)

§. II.

Ab Auctore commemoratae in præfatione hujus dissertationis hypotheseos discimus, Phœnices in littoribus maris Balticæ præcipue collegisse electrum vel succinum; quod quum sua lingua appellarent *Sæmgb* vei *Somgh* & *Sumgh*, lingua Fennorum vernacula *Somr* dictum, concludit, appellationem *Suomi* esse Phœniciae vel Arabicæ prosapiæ, & *Terram Succiniferam* denotare. Negari quidem non potest, quin veteres sibi habuerint perspectum, *electrum* seu *succinum* (a) in regionibus, polo Arctico vicinis copiosius, quam alibi terrarum, nasci, quod se etjam inaudiuiisse narrat Herodotus, ita scribens: *De extremitatibus Europæ, quod pro comperto referam, non habeo. Neque enim assentior, fluvium quendam esse Eridanum, a Barbaris vocatum, qui subit mare ad septentrionem spectans, unde electrum venire narratur. Nam vel ipsum coarguit nomen Eridanus, quod Græcum est, non barbarum, ab aliquo Poëtarum fictum. Sed et si hoc studiose quæsivi, a nemine, qui ipse viderit, accipere potui, quomodo se babeat mare ad illam Europæ partem* (b). Quis nam vero sit fluvius Eridanus, ab Herodoto dubitanter, uti vidimus, commemoratus, inter Antiquarios parum conitat. GOROPIUS BECANUS per *Eridanum* intelligit Vistulam, eoque nomine multum sibi Gedanum & Vistulan debere contendit, quod primus ipsis hoc retulerit ornamentum (c). Suspicatur PHILIPPUS CLUVERIUS, *Eridanum* esse effictum ex nomine amnis *Radunæ*, qui non procul a Vistula ortus, tandem etjam in candem Vistulam se exonerat (d), cui JOHANNES MICRÆLIUS, aliique assentiuntur. Ingeniosam esse hanc opinionem, non diffiteor; an vera sit, alii dispiciant. Quicquid sit, succinum in Eridani vel Padi, ceu deinceps vocatus fuit fluvius, littoribus lectum esse, Latini nos dubitare non sinunt Scriptores, quamvis figmentum sit Poëticum, *Rhaæthonis*

A 3

Soro-

6

Sorores', Heliades dictas, fletu nimio ob fratriis infelicem casum in arbores populos mutatas, juxta Eridanum quotannis fundere lacrymas, & ex harum concretiones gigni *electrum*, cuius fabulæ Auctor putatur AESCHYLUS (f). Præter Herodotum alii quoque antiquissimorum Auctorum describunt regiones, mari boreali vicinas, ut *succini* feraces, quos inter præcipue nominandus est Pytheas, de quo Plinius: *Pytheas* memorat *Guttonibus*, *Germanicæ genti*, *accoli æstuarium oceani*, *Mentonomon nomine*, *spatio stadiorum sex millium*, *ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum*, *illo vere fluctibus advebi succinum & esse concreti maris purgamentum* (g). Sed sicut dies diem docet; ita sequenti tempore, promota orbis nostri cognitione, plenius innotuit, littora maris Baltici esse succini feracia. Sic Diodorus Siculus: *E regione Scythiae supra Galliam in Oceano insula jacet, quam Basileam vocitant, in hac succinum large a fluctibus expulit, alias nuspiam in orbe terrarum se exhibens* (h). Atque TACITUS: *Sed & mare scrutantur Æstii, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada ac ipso in littore legunt* (i); a quo non multum abludit PLINIUS (k). Falluntur autem hi Auctores, dum rotunde adfirmant, succinum non alibi, quam in borealibus reperiri littoribus, eodem in aliis etjam Europæ oris (l) invento. In littoribus tamen Svetiæ (m), quamvis hoc diserte neget CLUVERIUS (n), præcipue vero in Borussia, & heie in primis in provincia Sambia (Samland), magna quotannis colligitur copia; adeoque si qua alia regio, certe hæc postremo nominata a *succino* appellari meruit, eique applicari utcunque possunt Arabici vocis natales, supra commemorati. Hæc vero denominatio in nostram tanto minus quadrat Finlandiam, quod vix illa succini frusta in nostris reperta sint littoribus. Nec deficientibus monumentis Historicis, fide dignis, salva quis asserere potest fronte, *vetustissimos Fennorum in Sambia suas prius*

) 7 (

prius habuisse sedes, quam ad regiones magis septemtrionales se conferrent; contra ea memoriae prodit Plinius, illam maris oram, in qua Veteres colligebant succinum, Pytheæ ætate a Guttonibus, Germanica gente, adeoque ad Fennos non referendis, fuisse habitatam (o). Scio equidem, quod Plinius, insulam describens *Eningiam*, qua Feningiam seu Finlandiam designari, plerique Antiquiorum autumant, hæc habeat: *Nec minor opinione Eningia; quidam banc habitari ad Vistulum usque fluvium a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hiris tradunt* (p). Sed sicut nullo conitat indicio, vel Sarmatas, vel ceteras a Ilinio heic enumeratas Nationes in Finlandia suos olim constituisse penates (q): ita probabile est, Historicum hunc Naturalem limites Eningiae seu Fenningiae justo laxiores posuisse. Præterea a *Succino* appellari eo minus potuerunt tenni, quod in lingua nostra non occurrat vocabulum, quo succinum designatur; *Somero* enim Nostratum indicat scrupulum vel calculum, non *succinum*, ut sibi persuasit Auctor. Et si Phœnicibus vernaculam suam Nostrates debent appellationem, scire impense vellem, quænam patriæ et Majorum nostrorum fuerit appellatio, antequam mercatores illi longinquè eos inviserent? Aut quare nomen, cuius etymon eis non convenit, affumerent?

- (a) Distinctionem quidam faciunt inter *electrum* & *Succinum*, vid. *Allgemeine Geschichte der Handlung &c.* p. 133; sed quibus suo abundare seniu permittimus. (b) Vid. *Ejusd. Libr. III. p. 234.* (c) In *Venedicis* p. 994 seq. (d) Vid. *Ejusd. German. Antiquæ Libr. III. Cap. 34.* (e) Vid. *Ejusd. Chronicon Pomeran. Num 4.* p. 4. (f) Vid. *Plinii Histor. Natural. Libr. XXXVI. C. 2.* (g) Vid. *Plinii Libr. 8^o* hoc citat. (h) Vid. *Ejusd. Biblioth. Histor. Libr. V. C. XXIII p. m 287.* (i) Vid. *Ejusd. Libr. de Moribus Germaniæ Cap. XLV.* (k) Vid. *Libri antea cit. Cap. 3.* (l) Vid. *Le Grand Dict.*

) 8 ()

Dictionnaire de Savary Art. Ambre jaune. (m) Vid. *J. G. Wallerii Mineralogia Svecan.* p. 99. seq. atque von Linné's *Skånska resa* p. 25. (n) Vid. *Ejusd. German. Antiquæ Libr.* III. p. 691. Verba ejus hæc sunt: circa Scandinaviam nullo unquam ævo electrum conspectum. (o) Vid. *Plinii locum supra Not. f. cit.* (p) Vid. *Plinii Histor. Nat. Libr.* IV. Cap. 13. (q) Vid. *Allgemeine Geschicht der Handlung &c.* p. 569.

§. III.

Explicaturus deinceps allatæ hypotheseos Auctor, qua ratione vocabula *Somelein*, *Someland*, pro synonymis ab eo habita, *Terram Succiniferam* designant, ceu verum assumit, priorem vocem optime deduci ex Arabicā *Sæm*-- vel *Somgh-Mehæl*, *Somm*-- *æhel* & *Somelain*, qua Finlandia ex ejus mente denotatur; quæ igitur appellatio vi suæ originis *Terram succini feracem* significaret. Nescio sane, an disquisitionibus hisce etymologicis Auctor ingenii sui acumen & Linguæ Arabicæ peritiam ostendere voluerit; certum tamen est, quod Linguæ Fennicæ ignorantiam luculenter prodat. *Somelain* enim, ceu neminem nostratum fugit, Fennum, non ipsam regionem indigit. Addo, quod per istam Litterarum permutationem, quam sibi frivole permittit Auctor, genuinæ appellationum origines adeo non inveniantur, ut potius eædem in lufus imaginationis convertantur.

§. IV.

Forte autem Auctor ipse animadvertis, suam de etymo *Suomi* hypothesin talo minus firmo niti, quare aliam Fenniæ appellationem eidem annexit; probabilius dicens, quod Phœnices seu Arabes Finlandiam sua Lingva appellaverint *K-lsong*;



K-lsōng; quæ etjam denotat *terram succini feracem*, quæ vox deinceps mutata fuit in *Gleſſum*, *Glæſum* & *Gles*, *succi-num* significans. Scilicet idea iuccini adeo placet Auctori, ut eandem Finlandiæ tributam quovis velit impendio. Opinioni autem huic plane contradicit SOLINUS, originem vocis *Glesfi* non ab Arabica, sed ex veteri Germanica lingua arcessens; ita enim scribit: *Gleſſaria dat crystallum, dat & succinum, quod Germani gentiliter vocant Gleſſum* (a) Ex admissa Auctoris opinione conjicere porro licet, Finlandiam esse Veterum *Gleſſariam*; at quum hæc ex Geographorum descriptio-ne fuerit iniula, nomen illud nostræ commode applicari ne-quit patriæ. Sed licet demus, insulas a priscis Scriptoribus nonnunquam appellari, quæ ne peninsulæ quidem nomen sa-tis sustinent; attamen character *Gleſſariae* distingivus, a succi-no petitus, Finlandiæ, uti supra indicavimus, non convenit. Ambigua de situ *Gleſſariae* controversia nondum videtur com-posta; Antiquariis nostris eam Scandiæ afferentibus (b), & antiquum *Glæſiswall* pro *Gleſſaria* habentibus (c); Lorusficiis con-tra ad suas eam referentibus cycladas (d), neutris *Gleſſariam* pro nostra habentibus Finlandia.

(a) Vid. *SOLINI Polybistor. Cap. XXIII.* (b) Vid. *IS. TRÆGÅRDS* *Dissert. de insula Gleſſaria.* (c) Vid. *VERELII Notas ad Historiam Hervoræ p. 21.* (d) Vid Imprimis *HARTKNOCHI* *Dissert. de antiquis Prusia populis* §. X.

§. V.

Observat porro Auctor, Fennos non solum vernacula-
m suam appellationem a Phœnicibus fuisse tortuos, sed populos
quoque septemtrionales ab eisdem in Theognoſia esse institu-
tos; quod exinde planum illi videtur, cum quæd nomina,
quibus hi DEOS & LEAS compellarunt, Planiceam prodant
B origi-



originem, tum quod **vocabulum** in gentis utriusque lingua occurrat, & qua sonum & qua significationem plane idem. Peculiare omnino est, quod de Scandianorum **DEO THOR** refert, scilicet eum sub forma **tauri** ab Hyperboraeis fuisse cultum. Quamvis vero nemo facile negauerit, veteres Scandiviae populos in sua valde hallucinatos fuisse Theognosia, quod nec mirandum, siquidem in crassissimis ignorantiae ac barbarie tenebris viverent; eo tamen dementiae non sunt prolapsi, ut, ad imitationem quarundam gentium Orientalium, bruta animalia vel horum imagines religioso prosequerentur cultu; licet eam sententiam soverit J. G. ECCARLUS, ita scribens: *Noster Thorus sub nomine bovis cultus est, quia taurum & nos olim Thor, tur nominavimus, pro quo jam sibilo praefixo Stier dicimus. Hinc in veteribus cippis Runicis frequens tauri figura, & icunculae tauri æneæ aliquando in tumulis majorum nostrorum ethnicorum reperiuntur* (a). His autem eo minus quisquam afflurgit argumentis, quo certius est, imaginem Thoreri, ubicunque illa occurrit depicta, exhibere Regem, in suo plena maiestate fulgentem folio. Contra ea Molochus, Phœnicum Deaſter, sub figura bovis repræsentatur (b). Quid vero de Deo **Theut** superstitione senserit antiquitas, pridem exposuerunt alii (c). Habuerunt quoque veteres Fenni Deastrum, **Turifas** ab eis nuncupatum, bellorum ac victoriae Praesidem (d); incertum autem, sub qua figura ab eis cultum, monumentis ex gentilismo superstitionibus vix alibi in orbe Christiano, quam in Finlandia, rarioribus. Quod ad Deæ **Wen** & **Wena** nomen attinet; evidens est, hoc ex voce Gothicâ **Wán**, **amicum** & **blandum** denotante, recte deduci. Observationem denique Auctoris de voce **Wesen**, **essen-tia**, parum probare censemus; siquidem ad cognitionem veterum Gentium in aprico ponendam non sufficiat, unum alterumve **vocabulum** ejusdem indolis in diversis inventis ling-

☒ T) II (☒

linguis, sed plura omnino erunt, ut argumenti sustineant viem.

- (a) Vid. *Ejusd. Libr. de Origine Germanorum p. 401, & 402*, qui in fidem suæ opinionis adfert testimonium *RUD-BECKII Atlanticae Part. II. p. 322 seq.* (b) Vid. *Thorgilli ARNKIELS Cimbrische Heiden-Religion p. 56, & 140.* (c) Vid. *VOSSII Libr. de Idololatria, CLUVERII German. Antiqu. SCHEDII Libr. de Dis German.* (d) Vid. *G. Arctopolitani Dissert. de origine ac Religione Fennorum p. 35.*

§. VI.

Nos præterea docet Auctor, Sacerdotes ab antiquis populis Septentrionalibus appellatos fuisse *Krivi*, *Miki*, *Brabi* & *Diar*; quibus singulis vocibus Arabicos, ceu vidimus, vindicare nititur natales. Enimvero *Krive*, quam vocem propter geminam ab initio consonantem Nostrates per *Rive* efferrent, eis est plane ignota, Sacerdotem vero *Pappi*, blando, uti videtur, patris nomine compellant. Nec ab aliis Scandinaviae populis Sacerdotem fuisse dictum *Krive* invenimus; titulum tamen hunc *Krive* a veteribus Prusis Summo apud se Sacerdoti fuisse tributum constat (a). Verisimile admodum est, vocem *Krive* corruptam esse a Græca Κύριε; docent enim Scriptores, Prusicum Pontificem fuisse dictum *Kyrie Kyrieito* (b). Fennica lingua *Mies* denotat virum, sed *Mek* vel *Mik* inusitatum est nostratis vocabulum. Legimus tamen, quod veteres Principatus Altenburgensis incolæ venerati sint idolum, ab eis *Prove* nuncupatum, cuius sacerdotem appellarunt *Mycke* (c). Denique nec genio linguæ Fennicæ conveniunt voces *Breb* vel *Brab*, nec non *Diar* vel *Dear*, quæ Gothicam satis produnt originem; Fennis, uti notum est, literam B per P, atque D per T communiter efferentibus.

B 2

(a)

□) 12 (□

(a). Vid. *Petri de Dusburg Cbronicon Prussie p. 79.* (b).
 Vid. *HARTKNOCHI Dissert. de Sacerdotibus veterum
 Prussorum §. 1. &citatos ab eo Auctores.* (c). Vid.
KRANTZII Vandaliam libr. III Cap. XI.

§. VII.

Commemorat denique hypotheseos allatae Auctor, antiquissimos populos Boreales a Phœnicibus suas accepisse litteras, eas tamen singulis promiscue non innotuisse; litteras runicas ab eisdem habitas sacras, atque his ex eorum opinione vim inesse magicam; feminas igitur magicis operantes artibus appellasse *Alrunnas, Runnas.* Quum vero hæc, quæ de Phœnica litterarum Gothicarum origine perhibet, nullo verisimilitudinis pignore muniantur, ullam vix merentur fidem. Deficiunt idonea hoc argumentum illustratura documenta, quare nec mirum est, quoad runarum ortum a præstantissimis etjam Antiquariis diversas foveri opiniones, non nullis in lingua Jonica, aliis in Hebræa vel Samaritana, aliis in Latina earum quærentibus incunabula. Docet quidem STURLONIDES, OTHINUM jussisse, in memoriam viorum, factis egregiis illustrium, lapides (BAUTASTEINAR) erigi (a); unde nonnulli concludunt, ipsi runas, seu litteras ac scribendi artem in acceptis esse ferendas (b); sed quum hanc inventarum runarum gloriam OTHINO non tribuat STURLONIDES, verisimile est, faxa hæc fuisse *αχάραντα* (b), & runarum ætatem esse ævo OTHINI posteriorem, proindeque earum originem a Phœnicibus, eo minus esse repetendam, quo certius constat, longinqua eorum commercia, cum urbe Tyro destructa, desissee. Dici quidem in gratiam allatae hypotheseos potest, in monumentis nostris runicis nominari Græciam & varia Asia Minoris loca; præterquam autem, quod accuratiores Antiquarii diversimode legant has lapidibus ina-

❧) 13 (❧

G. 15. 6. 7.

inaratas runicas inscriptiones, nec in eisdem nomina Sodomæ, maris Galilæi aut Tyri inveniant, litteraturam Gothicam a Phœnicea fuisse diversam, satis potest ostendi. Quicquid sit, argumentum a litteratura petitum Runica eo minus confirmat opinionem de commerciis Phœnicum cum veteribus Fennis, quo certius conitatur, hanc litteraturæ speciem priscis ignotam fuisse Fennis, nec ullos lapides, characteribus runicis insignitos, in Finlandia adhuc esse inventos. Occurrit quidem in nostra vernacula vox *Runo*, qua tamen *Carmen*, non antiquæ designantur litteræ. Nec silentio erit prætereundum, quod in littoribus Frisiae, ob uberem succini proventum et olim & hodie celebribus, nulla occurrant monumenta runica, saltem eorum mentionem non faciant Historici, quos lustrandi data nobis fuit copia; imo nec talia a se in Phœnicio vita fuisse solo, quisquam peregrinatorum afferuit; quo utroque defecit opinio Auctoris fablestæ admodum est fidei. Mysterium denique litterarum, qui scilicet fieret, ut cum alter certos linearum ductus ab altero licet absente factos videret, ille tamen hujus mentem plene intelligeret, cum rudes homines capere non possent, effectum tamen illius in casibus satis cernerent singularibus, ipsas litteras pro characteribus magicis & incantationis quadam specie, more barbaris ac superstitiosis gentibus familiari, habuerunt. Sed disquisitionibus his diutius immorari, brevitas nobis imperata non permittit.

(a). Vid. *Ejusd. Heimskringla Tom. I. 10.* (b). Vid. *BARTHOLINI Antiq. Dan. Libr. III. Cap. 2*, itemq. *T. TORFÆI Series Reg. Dan. pag. 132.* (c). Vid. *Rev. D. D. U. von TROIL Dissert. de Runarum in Svecia antiquitate.*

S. D. G.

